

P. Michael Heilig (1808-1887)

P. Michael Heilig, auctor relationis, est unus ex eminentioribus Instituti sodalibus. Natione erat Germanus, natus in Suevia (Württemberg) 7.IX.1808, mortuus in Vaals 30.VIII.1887. Ut erat homo « supernationalis », a. 1846 praeyerat magno collegio Wittem, item tunc supernationali. A. 1847 suscepit regimen Provinciae Belgicae, quae suas domos habebat etiam in Hollandia et Anglia et Statibus Foederatis USA. A. 1849 Paganos profectus est unus e Consultoribus Rectoris Maioris P. Trapanese, ibique mansit usque ad 3.IV.1850. Decembri eiusdem anni nominatus Consultor Vicarii Generalis P. Smetana, simul fuit Superior hospitii Coblenz. Aprili 1854 cum P. Smetana Romam venit, et anno insequenti ut Consultor Generalis ex officio Capitulo generali interfuit, fungens simul munere Secretarii. Capitulo finito per quadriennium adscriptus erat communitati Luxemburgensi. A. 1859 fundavit Aquisgrani novam domum et a. 1873, patria expulsus, domum Vaals. Senex per ultimos septem vitae annos gubernavit totam Provinciam Germaniae Inferioris. Vox Germanica *heilig* significat « sanctus », et P. Ignatius Jeiler O.F.M. scribit in vita Famulae Dei Franciscae Schervier se in tota vita non cognovisse religiosum Patrem Heilig sanctiorem.